

† **Excēnus ac Revm̄us Geraldus Murray (1885-1951)***(Prov. Tor.)*

Eodem die, quo S. Clemens noster, scil. d. 26 Decembris, sed 134 post huius magni Redemptoristae ortum (1751), et 65 annis post eius sanctam mortem, Geraldus Murray a. 1885 natus est, et ipse post alios 65 annos mortem occubuit in sua urbe natali Montreal. Dominica 3 Iunii 1951, h. 8,45 p. m., primus Provinciae Torontinae sodalis episcopali, immo archiepiscopali dignitate insignitus. Parentes eius Geraldus Murray et Iulia Casey ambo in Hibernia nati erant, sed post ad terram Canadensem emigrarant.

A. 1896 Geraldus iunior, nondum completis undecim annis, Pulchriprati inter primos undecim iuvenistas « Vice-Provinciae Canadensis », a Provincia Belgica dependentis, inveniebatur; quapropter sane

dignus erat qui exacto dimidio saeculo, Dominica 22 Sept. 1946, iubilaeum aureum illius iuvenatus redderet magis sollemne Missa pontificali a se in Basilica S. Annae celebrata <sup>(1)</sup>.

Attamen Geraldus Murray studia sua humanistica non in nostro iuvenatu, sed in collegiis suae urbis natalis complevit, immo ibidem quoque studia philosophica; sed a. 1906, suasore R.P. Ioanne Mac Phail, C.SS.R., in nostrum novitiatum Canadensem, tunc Marianopoli (Hochelaga) constitutum, ingressus est, festo Nativitatis B.M.V. sacram vestem ligorianam induiturus, et eodem festo recurrente a. 1907 vota perpetua nuncupaturus. Studia theologica perfecit in nostro studentatu Ottaviensi. Post tertium annum, 4 Sept. 1910, presbyteratus ordinem recepit ab Archiepiscopo Kingstoniensi Gauthier.

(<sup>1</sup>) Cf. Scriptum iubilare *Le Juvénat Sainte-Anne-de-Beaupré. Noces d'Or*, p. 81 et 104.

A. 1911 autonoma Provincia « Canadensis S. Annae » erigitur et insequenti anno pro Redemptoristis Canadensibus idiomatis anglici « Vice-Provincia Torontonensis in Ditione Canadensi », dependens a Provincia Baltimorensi, dato simul sodalibus dictae linguae iure optionis. Iuvenis P. G. Murray optavit hanc novam Vice-Provinciam, et illico in Provinciam matricem missus est, ut Annapoli duce P. Carolo Sigl secundum novitiatum perageret, a 20 Aug. 1912 ad 20 Febr. 1913.

Eodem anno 1913 Romam venit ad gradum Doctoris philosophiae consequendum, et iam sequenti anno, laurea insignitus, in Continentem Americanum rediit. In studentatu Esopus decennio 1914-24 primum philosophiam, postea theologiam moralem docebat, insuper sacram eloquentiam et linguam gallicam. Erat simul Minister magni collegii.

A. 1924 superius ascendere iubetur; per triennium renuntiatur Rector simulque Director iuvenatus in Brockville siti et per alterum triennium Superior totius Provinciae. Deinde Pius PP. XI hunc Provinciale 44 annorum nominavit 30 Ian. 1930 Episcopum Victoriensem in Insula Vancouver. Consecrationem episcopalem Exc.mus G. Murray recepit 7 Maii eiusdem anni. Die 21 Dec. 1933 nominatur primus Ep. Saskatoonensis. Denique 8 Ian. 1944 promovetur ad sedem archiepiscopalem tit. Bizyanam (*Bizya*), simul Coadiutor cum iure successionis Archiepiscopi Winnipensis Alfredi A. Sinnott. Immo inde a d. 23 Maii 1946 totam archidiocesim 76.000 animarum pleno iure gubernavit qua Administrator Apostolicus.

Quoniam de gubernio nostri Archiepiscopi notitiae accuratiores desunt, enarremus eius finem. Ut obediret medico, qui tres menses perfectae quietis ei ob valetudinem valde debilitatam praescripserat, Exc.mus Murray Maio ex Winnipeg in urbem natalem venit. Qui eum ibi in nosocomio S. Mariae invisebant, gaudebant de eius affabilitate ac festivo animo. Etiam ultimo die mensis A.R.P. Rector C. Mc Elligott nil insoliti in eo viderat; verum post horam Archiepiscopi frater germanus Ioannes invenit eum ictu apoplectico tactum, et propterea in loquela impeditum. Sanguis coagulatus in cerebrum intraverat, et medicus dixit, si id repeteretur fore ictum letalem. Revera ex hac causa mors accidisse creditur quarto die postea, hora, ut supra dictum est.

Corpus emortuum exponebatur in nostra ecclesia S. Annae, donec vespere 6 Iunii transferretur in ecclesiam S. Patritii, in quo olim, 27 Dec. 1885, Geraldus per baptismum Christo Domino incorporatus fuerat. Ibidem postridie h. 10 Em.mus Cardinalis Mc Guigan, Archiepiscopus Torontinus, Missam exsequialem celebravit, Diacono Missae nostro Provinciali Baltimorensi Pl.R.P. Ioanne Sephton, et Diacono honoris Provinciali Torontino Pl.R.P. Daniele Ehman. Praesentia sua magnum defunctum honorarunt 26 Archiepiscopi et Episcopi, permulti Praelati, sacerdotes, Redemptoristae et insolita multitudo laicorum totam vastam ecclesiam opplentium.

Hodiernus Episcopus Saskatoonensis Exc.mus Phil. Franc. Pocock in suo sermone funebri inter alia haec dixit: « Archiepiscopi Murray qualitas eminens erat eius humilitas, quae eum semper inducebat ad quaerendum potius convictum pauperum, et quae effecit ut nil antiquius haberet quam sublevare quoscumque tribulatos invenisset. Licet ultimis annis integra valetudine minime gauderet, tamen nunquam cessavit sese impendere et impendi in labore apostolico. Ecclesia Canadensis amisit unum ex suis servis maxime devotis, cuius memoria semper vivet in corde eorum qui eum noverant ».

Post sollemne *Libera* quinque proceres Ecclesiae nomine totius hierarchiae super feretrum quinque absolutiones pronuntiarunt, nempe Archiep. Marianopolitanus Léger, Archiep. Reginatensis O'Neill, Archiep. Winnipegensis Sinnott, Episcopus Peterboroughensis Berry, tandem ipse Celebrans Cardinalis Mc Guigan. Corpus tumulatum est inter confratres in coemeterio Marianopolitano Cotes-des-Neiges, et confrater ac socius in episcopatu, Exc.mus Episcopus Rapidopolitanus Mc Carty, ibi ultimas preces recitavit.

Vir magni ingenii ac morum affabilium, sacerdos magnus et genuinus Redemptorista nobis ereptus est. R.I.P.